4° Hall. 3371 (7,6

Q. D. B. V.

THESIUM JUSTINIANEARUM
VELITATIO SEXTA,
De

DOMINIO NATURALI,

Quam

Authoritate & Permissu Magnifici JCtorum Ordinis in almâ Leucoreâ,
PRÆSIDE
VIRO Nobili, Consultissimo & Excellentissimo

DN. GOTTFRIDO SUEVO,

J. U. D. & P. P. Celeberrimo Curiæ Elector. Facultat. Juridicæ ut & Scabinatus Assessore gravissimo, Patrono suo atq; Præceptore submissè colendo,

defendet

JOHANNES POHLMANN
Magd. Sax.

ad d. *Maji.*
In Acroaterio JCtorum.

WITTEBERGÆ, Excudebat Joh. Hake, M. DC. LII.

GRATIOSO SPIRITU DIRIGENTE.

In Auditorio JCtorum ad d. Maji 1652.

THESIUM JUSTINIANEARUM VELITATIO SEXTA,

De

DOMINIO NATURALI.

Quam

PRÆSIDE

GOTTFRIDO SUEVO D.

& P.P.

instituet

JOHANNES POHLMANN, Magd. Sax.

THESIS I.

OMnes res (*a*) vel in patrimonio (*b*) vel extra patrimonium nostrum haberi (*c*) divisio laudabilis est (*d*) & retinenda (*e*). *ad pr. Inst. d. Rer. div.*

(*a*) quatenus in secundo hoc Juris

objecto ſpecialius conſiderantur. Ut diſtinctæ à perſonis & actionibus. Nam in latiſſima ſignificatione Vocabulum rei & perſonas, & actiones quoq; complectitur. *Vid. ſupra Velit. 2. θ. 1. lit. d.*

(b) accepto, non pro bonis paternis, vocabulo, ſed pro eo, quicquid in bonis eſt, ita n. rē in patrimoniū ſuum convertere, dicitur in *l. 25. §. 1. ff. de petit. hered.* Et patrimonium ſuum, quidam diminutive peculium dicunt. *l. 16. pr. ff. ad SC. Trebell.*

(c) pr. Inſt. de Rer. div. Theoph. in Paraphr. Inſtit. h. t. pr.

(d) diviſionibus aliis JCtorum *ut Caji in l. 1. & Marciani in l. 4. ff. eod.* in quibus, ille quidem res alias divini, alias humani juris. hic vero, res vel communes, vel univerſitatis, vel nullius, vel ſingulorum eſſe dicit, adhibita juſta ſubordinatione ſatis congruens. Nam extra patrimonium noſtrū ſunt res vel divini vel humani juris. Divini ſunt, res ſacræ, religioſæ & ſanctæ. Humani ſunt, communes, publicæ, & univerſitatis. *pr. Inſt. h. t.* In patrimonio noſtro ſunt res illæ, quæ ſingulorum dicuntur. Sed cur publicarum rerum nullam fecit mentionem JCtus Marcianus in *d. l. 4. ff. h. t.* quas tamen adjecit Imperator in *d. pr. Inſt. h. t.* Reſp. ob promiſcuam uſurpationem Vocabulorum, *commune* pro *publico* & contra. vid. *l. 14. l. 50. ff. de A. R. D. l. 45. ff. de uſucap. l. Ariſto 10. ff. de rer. diviſ.* publicas res vel ſub communibus comprehendere voluit: quanquam ſtrictius accepta vocabula inter ſe differant *§. 1. & 2. Inſt. h. t. Bachov. in Comm. Inſt. ad pr. h. t.* Vel easdem ſub rebus univerſitatis intellexit; illis nimirum, quæ jure gentium tales dicuntur: & proprietate ad Imperium populumq; pertinent. Nam quæ univerſitatis

ſunt

sunt Jure civili, Sive jure civitatis tertiam speciem à communibus & publicis rebus separatam constituunt, de quibus agitur in §. 6. *Inst. h.t. vid. Wes. ad pr. Inst. d.t.*

(*e*) cum res in se omnes complectatur, étiam servitutes. Sunt n. & hæ in dominio, *l. 8. ff. de reb. aut jud. possid. l. 4. de usufr. & quemadm. quis ut.* & in bonis nostris, ob actiones pro iis competentes §. 2. *Inst. de Act. juncta l. 52. ff. de A.R.Dom.* licet certo respectu eas neq; in bonis. neq; extra bona esse dicat JCtus Paulus *in l. 1. ff. de usufr. & redit.* Nimirum, id de quo agitur *d.l.1* ubi quis legaverat usum vel usumfructum itineris, actus, viæ, aquæ ductus, in bonis non est: quia servitus servitutis esse non potest: adeoq;, cum nunqvam constituta fuerit hæc servitus, nec constitui potuerit: & non entis nulla sint accidentia, rectè dicitur, in bonis non esse. Neq; tamen extra bona est, id de quo tractatur in d. *l. 1.* de legato usu vel usufructu servitutis: quia quamvis ad ipsam servitutem; servitutis, quæ inutiliter legata & nulla est, actio non sit ad formaliter constituendam servitutem ex voluntate tamen testatoris actio incerti datur adversus heredem, ut is legatario, quamdiu vixerit, eundi, agendi, ducendi facultatem præstet, ut est in verbis seqq. *d. l. 1. Confer. Donell. lib. 4. Comm. c. 7. ibiq; Hillig. Arum. Exerc. 4. & 3.* Varias explicationes vid. apud *Hotom. 6. obs. 25. Gædd. ad l. 49. d. V. S. in fin. Vult. ad pr. Inst. de Rer. div. n. 18. & alios*, allegatos à Dn. *Ungep. Exerc. 5. q. 1. in Ajo* de quibus forte in conflictu videbimus.

TH. II. Urbis æternæ (*a*) muros, qui transcenderit, capite (*b*) luet admissum (*c*) In murisaliarum civitatis mitius censemus (*d*). *ad §. 10. I.d. R.D.*

(*a*) Romam sic vocant Impp. *in l.1.C.de Suar.* Ammian. & alii, eodemq; nomine venit nova Roma, Constantinopolis *in l.5.pr.C.de diverſ.præd.Urb.lib.11.*

(*b*) *l.fin.ff.de Rer.div.* In qua generaliter quidem de muris dicitur, *ſi quis violaverit muros &c.* quia tamen in *fin.d.l.ult.* de Romuli fratre, Remo ſubjicitur, quod ille occiſus tradatur: ob id, quod murum tranſcendere voluerit (id eſt volens tranſcenderit: ſive deliberatò actum ipſum perfecerit, adde *l.4.C.fin. regund.* ne cum Accurſio putemus Remum ſaltem animum & propoſitum habuiſſe tranſcendendi) certe hoc exemplum tanquam ſingulare prorſus expoſitivè declarat Regulam: in quibus caſibus locum habeat, adeoque reſtringit ad eum caſum tantum, ſi quis tranſcenderit muros Urbis Romæ, & hodie Principalis alicujus civitatis aut caſtelli muniti; Similiter, quod in §.*10. Inſt.de rer.divis.* in genere dicitur pœnam capitis conſtitutam eſſe in eos, qui in muros deliquerint, cum muri in genere ſancti ſint.*d.*§.10. & in ſpecie municipales quoque *l.8.§.2.ff.de rer.diviſ.* id ad muros non civitatum, ſed, uti ſignanter Imperator, *civitatis; in pr. d.*§.*10.* id eſt Romæ, *arg.*§.*2.Inſt.de J.N.G.& Civ.* reſtringendum eſt: Sancti ſunt muri omnes, etiam municipales, nec violandi temere: Verum ſi violati fuerint, non eadem pœna, quæ in violatores murorum urbis Romæ ſtatuta eſt, obtinet: Sanctæ ſunt omnes leges: ſanctè cuſtodiendæ, ſi ſecus factum fuerit, legis inferioris & ſuperioris Violatæ non eadem erit pœna. vid. *Dn. Ungep.Ex.5.q.2.in N.*

(*c*) Quod ſcil. hoſtili animo factum eſt, non ex neceſſitate aut imprudentia. *Weſenb:in Comm.Inſt.ad h.t.* Sive belli tempore, ſive pacis; ſive tranſcendendo ſive a-

ve aliter in eos delinquendo. Non enim facimus cum *Boerio* qui *decis. 232.* id tantum quod tempore belli in muros admissum est, capitale censet, cum nullibi ita distinguatur in Jure. Nec cum Giphanio sentimus, qui in *d.* §. 10. delinquere in muros capitale habet, trāscendere non item, cum tamen utrumq; proponatur *in d.l. fin. ff. h.t.*

(*d*) ne delicti majoris & minoris eandem pœnam, citra justam utriusque commensurationem, statuamus, contra *l. 11. ff. de pœn.* At majus delictum esse & majus periculum caput Imperii, Urbem Principem aggredi, circa muros hostile quid tentando, nemo nō videt. *Wes. ad §. 10. Inst. h.t. n. 2. fermè contrarius in Parat. ff. eod. n. 2. in fin. Vult. ad d. §. 10. n. 2. Först. 1. d. 6. th. 5. Fom. d. 8. b. ult.* quod & praxis sequitur *Berlich. decis. 70.* Qui pœnam relegationis dictatam fuisse refert ei qui munos transcenderat, Er wird deßwegen daß er über die Stadtmaur gestiegen/ der Gerichte billig verwiesen.

Th. III. Venationibus (*a*) sicut interdictum subditis (*b*) recte (*c*) fuit; ita secus admissa extremo supplicio vindicari juste (*d*) possunt.

(*a*) non in publicis tantum locis, Banno Dominico munitis, aut privatis alienis, sed in propriis quoque.

(*b*) initio Clericis tantum; Venatorem enim nunquam legimus sanctum, B. Hieronymus dicit in *c. 1. dist. 34.* licet piscatores sanctos inveniamus, Esau autem Venator erat, quia peccator erat dicit idem Hieronymus in *c. Esau dist. 86. c. 2. X. de Cleric. Venat.* & Laicis, limitate tamen, ac plebejis cum primis *ex Constit. Friderici de Pace ten.* §. 5. postea omnibus adeo ut ne Nobi-

libus

ibus quidem in propriis sylvis venationes exercere liceat, majores cumprimis, nisi unà cum feudo de iis investiti fuerint es seind ihnen denn die hohen Jagdten außdrücklich verliehen. *vid. Dn. Frantzk Exerc. 4. q. 2. in fin.*

(c) ob metum turbandæ pacis publicæ ex usu armorum, qui & alias privatis interdictus est: *l. un. C. ut armor. us.* ob metum ex vagâ & promiscuâ venatione secuturi interitus specierum & avocationis à avocationis à necessariis & in commune utilibus aliis; nihil obstante privilegio divinitus concesso: Dominamini universis animantibus &c. *Gen. 1. v. 28.* siquidem dominium illud, quod non tam in captura & acquisitione animalium est, quam in terrore: ex illo divino effato, sit terror ac tremor vester super cuncta animalia: Hodieque post venationes ademptas durat. Verentur animalia hominem, hominisq; manu & arte reguntur. *Wesff. de R. D. n. 7. Harpr. ad d. §. 12. I. de R. Div. Arum. Ex. 4. t. 9. Dn. Frantzk. Ex. 4. q. 2.*

(d) si & contumaciter delictum iteratum, & in sanctione prohibitoria certa pœna sit expressa; quod intenderunt Scabini Lipsienses in sententiâ post Sachsenspiegel. Ut non obstet generalitas *ex* Landtr. *2. art. 61.* Das niemand seinen Leib noch seinen gesundt hieran verwürcken möge. Nam hoc in thesi quidem recte se habet, & in terminis liberrimi adhuc juris venandi. Verum in hypothesi, posteaquam Principes ob justas causas, non tam jure occupationis aut præscriptionis, quam superioritatis & territorii *Dn. Frantzk. d. q 2.* Venationes ad se traduxerunt, & ab immemoriali tempore præcipuas sibi habuerunt, Edictis prohibitoriis certa pœna, fu-

stiga-

stigationis aut laquei temeratoribus indicta, easdem muniverunt, quis neget transgressores si repetant & cumulent delictum, ita ut ferarum iniquè & mala fide cæptarum aut cæsarum æstimatio valorem quinque solidorum auri Ungarici optimi excedat: eos tãquam fures, cum scire debeant feras bestias post prohibitionem juste factam, esse res alienas & una cum banno ferino ad Principem pertinere, laquei pœna affici posse. Perinde ut ob aliud furtum quinque solidorum æstimationem superans ex *Ordin.Crim.Carol.V.art.160.Const.Elect.Aug.32.p.4.* Ipsa enim transgressio legis in irroganda pœna magis inspicienda est, quam res delicto acquisita. Nec tam propter lucrum, quod interdum tenue admodum est, ex delicto perceptum pœna infligitur, quam propter Violationem legis, spretam Imperantis autoritatem & innumera alia, quæ ex delicti frequentia in commune dispendium redundare poterant. Textus itaq; Juris Sax. in desuetudinem hodie abiit, surrogata dispositione contraria: requisitis illis, de quibus diximus concurrentibus & præsuppositis posse aliquem ob feram contra prohibitionem captam vel corporis vel capitis periculum incurrere: Corporis, id est relegationis aut fustigationis, si interdictum venatione sit, sed absque determinatione certæ pœnæ: Capitis, si & hæc expressa sit, & cœtera, de quibus supra, concurrant. *Vid. Heig.p.1.q.15.circa fin. Först.2.d.6.th.10. Hoën.d.Inst.4. th.6.*

Th. IV. Jure gentium vero animalia sive in suo (*a*) sive in alieno, (*b*) etiam contra prohibitionem Domini (*c*) capta, occupanti (*d*) cedunt (*e*). *ad d.§.12. l.d.R.D.*

(*a*) quod minus dubii habet.

(*b*) Nec

(*b*) Nec enim interest, feras bestias & volucres in suo fundo quis capiat an in alieno ait *Imp. in* §. *12. Inst. h. t.*

(*c*) qui & ingredi volentem prohibere *d.* §. *12.* & ingressum, vi expellere in continenti *l. 3.* §. *9. ff. de vi & vi arm.* aut actione injuriarum convenire potest *l. 13.* §. *ult. ff. de Injur.*

(*d*) non vulneranti tantum, §. *13. I. de R. D.* quod tamen hodierni mores limitarunt ita ut vulneranti licitum sit feram illam etiam in terminis vicinis & alterius persequi, absq; inflatione tamen corniculi venatorii & incitatione canum Landtr. *lib. 1. art. 6. Schultz. in Synopf. I. d. t. lit. K.*

(*e*) tanquam res nullius *d.* §. *12.* neq; adhærentes fundo, neq; à Domino possessæ *l. 3.* §. *14. ff. de acquir. poss.* Quanquam enim iniquè faciat, qui prohibente Domino ingreditur fundum, unde & injuriarum tenetur, *d. l. 13.* §. *fin. ff. de injur.* & in eum sensum recte rescripsit D. Pius, consentaneum non esse per alienas invitis Dominis aucupium facere, *l. 6. ff. de Servit. Præd. rust.* Attamen non inique facit & in mala fide est, qui feram contra prohibitionem Domini in alieno fundo captam retinet: non enim aliena est res illa, non pars fundi, non Domini fundi *d. l. 3.* §. *14. ff. de acquir. poss.* cui propterea damnum non infertur, sed res venanti in alieno æquè propria & cum effectu applicanda est, si ceperit eam, ante occupationem autē ejus non est, licet e.gr. in laqueū, quem venandi causa posuerat in fundo alieno Domino invito, aper inciderit: quam summam JCtus Proculus in *l. 55. ff. d. A. R. D.* ponit: tunc meum esse aprum si in meam potestatem pervenerit; ut ita lex ista adversus nostram assertionem

tionem frustrà à dissentientibus opponatur. vid. *Wes. ad d.§.12.Inst.& ff.de A.R.D.n.7.Treutl.2.20.2.E.Arum.Ex. 4.q.11.Förster.2.d.6.q.12.Dn.Ungep.Ex.5.q.4.in Ajo.*

TH. V. Non arbores tantum una cum parte terræ vi fluminis *(a)* ab alterius agro detractæ & meo adjectæ, post coalitionem *(b)* mihi acquiruntur, *(c)* sed isa quoque crusta *(d)* terræ. *ad§.21.I.d. R.D.*

(a) per avulsionem scil., nam in alluvione, quæ fit per incrementum latens; aliud est §. *20. I. d. t.* quod enim ita paulatim adjicitur agro meo, ut intelligi non possit, quantum quoq; temporis momento adjiciatur, id confestim mihi acquiritur, tum Jure accessionis consolidationis, tum Jure gentium, quo sicut aqua fluminis communis est, ita & id quod aqua vehit, & ei acquiritur cui primum adhæresçit, perinde ut aqua ex flumine hausta fit haurientis. *vid. Wesenb. ad d.§.20.Inst.b.t.*

(b) antequam coalescant, relinquuntur priori Domino, Cum discerni adhuc possint à fundo cui adjectæ fuerunt, neq; pars ejus ante coalitionem censeantur; Ideo quæ vi fluminum importata sunt, condici possunt. *l.4.§.ult.ff.C.de reb.Cred.* aut interdicto peti, quod Prætor olim proposuit in *l.hoc amplius 9.§.1.ff.de damn.infect.*

(c) ut volunt *Hotom.in d.§.21.Pac.in Not.ibid.* qui in d.§.21. lectionem in numero multitudinis, ibi, *ex eo tempore videntur vicini fundo acquisitæ esse*, meliorem esse ait, ut intelligatur, arbores tantum acquiri fundo, non partem prædii vel terram siquidem arbores sequuntur solum, non contra.

(d) Si nimirum pars prædii alterius, prædio meo vi fluminis adjecta longiore tempore fundo meo hæserit &

rit & cum terra ejus coaluerit. *l.7.§.2.ff. de A. R. D.* ibi, ex eo eo tempore videtur meo fundo acquisita esse, Scilicet ipsa terra, sive pars prædii fundo meo adjecta, de ea enim *in pr.§.2.* egerat JCtus, cumq; de arboribus, una cum terra allatis aut adjectis non admodum dubitari posset, quin una cum terra acquirantur Domino prædij, cui adjectæ sunt. Ideo JCtus de ipsa terra, tanquam de magis dubitabili decidere voluit. Eam videri fundo acquisitam esse, quam lectionem in numero singulari habent Pandectæ Florentinæ. Ex illa itaq; l. explicandus erit dictus *§.21. Inst. h.t.* Confirmat egregiè nostram assertionem *d. l.9.§.ff. de damn. inf.* in quâ expressè respondet Ulpianus ex Alfeno, si jam eum terra mea coaluit, meam factam esse, & ita demũ vindicari posse si non coaluerit, nec unitatem cum terra mea fecerit, adde *l.26.§.2.ff. de A. R. D.* Cæterum de arboribus quod dictum est, si radices egerint, novo domino acquiri *d.§.21. Inst. h.t. d.l.7.§.2. d.l.26.§.2.ff. d. A. R. D. d.l.9.§.2.ff. de damn. inf.* ei non obstat quod in *l.5.§.3.ff. de R. Vind.* dicitur, post coalitionem veteri Domino, utilem in rem actionem dari: siquidem eo ipso, quod utilem saltem actionem in rem habet: probatur liquido eum non ultra esse Dominium, aliàs enim directam haberet utilis autem illa actio datur pro æstimatione arborum. *gl. in d.l.5.§.3. Vid. Forsler. 2. d.6.θ.17. Dn. Ilngep. Ex.4. q.16.*

ad §.22. I. de R.D.

TH. VI. Insula in flumine nata (*a*) non proprietate tantum (*b*) eorum est, qui prope ripam prædia possident (*c*) sed usu quoq; (*d*).

(*a*) quod frequenter accidit *d.§.22.* quanquam & de iis quæ raro fiunt, Jura sollicitentur. Veluti de Insula in mari nata, quod raro accidit, *d.§.22. l.7. ff. de acquir.*

rer.

rer. dom. & de partu mulieris quæ quinquagenaria major est, quem mirabilem esse & rarò contingere ait Imperator *in l. 12. C. de legit. hered.* unde *in l. 3. & 4. ff. de LL.* non dicitur, jura non condi de iis quæ raro accidunt, sed ex iis jura non constitui. *vid. Pac. cent. 1. ENANTIOPH. c. 10. vid. Arum. Ex. 4. th. 13.*

(*b*) ut volunt *Cujac. 14. Obs. 11. Pac. cent. 6. ENANT. q. 93.* qui proprietate & dominio insulas eorum, qui prope ripam prædia possident, usum autem communem esse dicunt. Et de hoc usu accipiunt quod est in *l. pen. §. ult. ff. de* A.R.D. insulam in flumine publico natam publicam esse debere.

(*c*) 2dũ distinctionẽ & dimensurationẽ *d. §. 22. & d. l. 7. §. 3. l. 29. ff. d.* A.R.D. ita nimirum, ut si mediam partem fluminis teneat, communis sit eorum, qui ab utraq; parte fluminis prope ripam prædia possident; prò modo latitudinis cujusq; prædii. Si alterutri parti proximior sit, eorum tantum sit, qui ab ea parte prope ripam prædia possident, idq; ratione satis justa, cũ Insula nata, ex utriusque vel ex alterius partis prædio cui magis vicina adjacet, tantum detraxisse censeatur.

(*d*) ad Exemplum alvei exsiccati, qui proximiorum fit, quoad proprietatem & usum, quia jam populus eo non utitur, insula autem avei pars est. *l. 30. §. 1. & 2. ff. de* A.R.D. ut ita & verus sit acquirendi modus *d. §. 22. l. 7. §. 3. l. 29. ff. de* A.R.D. Cœteris autem modis acquirimus non tantum quoad proprietatem, sed etiam quoad usum. Et æquitatis omninò est, ut damnum, quod fluminis exundatione prædiis vicinorum Insula nascens intulit, nata resarciat. Publica verò dicitur Insula in *d. l. pen. §. ult. ff. de acquir. rer. dom.* non quod in

genere publica sit, & quoad totum usum, sed quoad extremitates tantum, quæ riparum vice funguntur, id est, ut liceat naves ad eas appellere, funes arboribꝰ ibi natis religare &c. §. *4. Inst. de rer. divis.* Imò inutilis fere esset proprietas Insulæ, si usus ejus in universum publicus foret. Aliter & varie dictam *l. pen.* exponunt vel de insula mobili & fluitante, quæ virgultis tantū sustinetur, vel de casu, quo prædia prope ripam, & ipsa publica sunt: vel negative legūt, *Nō, si id quod in publico &c.* quibus solutionibus quid obstet in discursu videbimus. *Confer. Cujac. lib. 14. Obs. 11. Hotom. lib. 1. Observ. c. 23. Robert. lib. 1. recept. sect. c. 11. Hill. ad Donell. lib. 4. c. 29. Int. B. Tr. 2. d. 20. th. 5. lit. H. Först. 2. d. 6. th. 18. Dn. Ungep. Ex. 5. q. 8.*

TH. VII. Species ex alienâ materiâ *(a)* effecta *(b)* interdum Domino materiæ cedit, *(c)* interdum specificanti *(d)*.

(a) quam quis suam putavit, non quam alienam esse scivit. Ex hàc enim effecta species Domino materiæ cedit, & eo casu verum est, quod ex re nostra fit, nostrum est. *l. 12. §. 3. ff. ad Exhib.* Operam autem donasse videtur, qui ex aliena materia sciens, speciem effecit, non secus ac ille qui sciens, ædificavit in alieno. *Donell. lib. 4. Comm. c. 12.* Et quanquam in §. *25. Inst. h. t. & l. 7. §. 7. ff. de* A.R.D. expressa mentio bonæ fidei non fiat, implicite tamen continetur d. §. 7. sub verbis *Suo nomine*. Nam suo nomine dicitur quis speciem efficere, ex ea materia, cujus dominium novit aut existimat ad se pertinere. Bonā fidem hic non requirunt *VVesenb. ad d. §. 25. n. 3. Heig. ibid. n. 12.* loquuntur tamen saltem de naturali ratione acquisitionis, quo inspecta dominium speciei applicanti

candum est ei qui fecit: Civili autem ratione considerata, bonam fidem non excludunt.

(*b*) Et quidem species verè nova; non si figura externa saltem mutata, vel materia detecta fuerit quod fit vel E. gr. in alienâ lanâ colore tincta *l.26. §. ult. ff. de* A.R.D. in qua JCtus nihil interesse dicit inter purpuram & eam lanam quæ in lutum aut cœnum cecidisset, adeoq; pristinum colorem perdidisset, vel in frumento alieno spicis excusso, grana enim quæ spicis cõtinentur, perfectam suam habent speciem, & qui excussit spicas, non novam speciem facit, sed eam quæ est detegit: Ideo frumentum excussum ejus manet, cujus & spicæ fuerunt. *l.7. §.7. in fin. ff. d.t.* ex qua supplemus & emendamus *d.§. 25. Inst.* In quo Tribonianus Exemplum de frumento perperam apposuit: qvasi id quoque cum ad spicas reverti non possit, ei acquiratur qui excussit, non animadvertens, quoad frumentum correxisse JCtum priorem sententiam. *in d. l.7. §.7. vers. Videntur. Heig. ibid. n.15. Pac. cent. 6. ENANT. q.89. & aliis.*

(*c*) si reduci ad priorem & rudem materiam res possit *d. l.7. §.7. d. §.25.* Sic enim materia quasi nunquam mutata, prædominatur. Et materia, quæ reduci potest, adhuc extare videtur: Ergo vero Domino eam restitui æquum est, ita tamen ut bona fide conficienti de impensis & operis satisfiat *arg. l.7. §.12.* Exempla speciei, ad priorem & rudem materiam reducendæ sunt in vasibus ex alieno ære, argento vel auro conflatis. Exempla in vasibus, ex alieno ære &c. conflatis dd. loc. & in navi ex alienis tabulis, dolatis jam ab alio & præparatis, ædificata *l. Mincius 61. ff. de R. Vind.*

(*d*) si ad priorem materiam reduci non possit, sic enim

nim forma, tanquam potentior, materiã vincit: Exempla in navi, ex alterius arbore, rudi scil. & non præparata, ex qua idem qui navem fecit, etiam tabulas fecerat: adeoque navis ipsius esse dicitur *in l.26. pr. ff. de acquir. rer. dom.* quia cum tales tabulæ, ab ipso conficiente, ex arbore vel cupresso factæ sunt, arbor aut cupressus non manet, sed cupresseum corpus sit, uti addit JCtus in *d.l.26.* adeoque cum ad priorem materiã reduci non possit, ex quibus quis navem extruxit, navis merito conficienti applicatur. Tabulæ autem jam dolatæ, tales manent, & non tam reduci, quam extare videntur. Ideo Domino materiæ navis hæc cedit, *d.l.61. ff. de Rei vind.* cujus cum *d. l.26. pr.* componẽda hæc expeditissima ratio videtur. *Accurs. Donell. lib. 4. Comm. c. 12.* Varias solutiones alias recensẽt & examinat *Hillig. ad Donell. d.l. lit. H.* Exempla alia speciei ex aliena materia, quæ reduci non potest, sunt in vino & oleo uvis & olivis alienis expresso *d.* §.25. cujus, cum frumento spicis excusso, utut similis ratio videatur; Dissimilis tamen reddi potest, grana enim jam inspicis perfecta sunt, neque post excussionem ulla sui parte magis perficiuntur, quod in vino & oleo secus est. *vid. Dn. Frantzk. Ex. 4. q. 4. Harpr. ad d. §.25. Dn. Ungep. Ex. 5. q. 8.*

ad §. 30. I. de R.D.

TH. VIII. Bonæ fidei possessor *(a)* necessarias *(b)* impensas deducit *(c)* indistinctè *(d)* utiles *(e)* interdũ deducit *(f)* interdum deducit *(g)* quod & in voluptuariis *(h)* tentandum *(i)* Restitutâ vero possessione *(k)* per actionem *(l)* salvas habebit impensas.

(a) Juste credens in rem suam se impendere.

(b) quibus non factis, res aut peritura, aut deterior futura est, *l.79. pr. ff. de V.S.*

(c)

(c) oppositâ doli mali exceptione *l.27. §.fin. ff. de R. Vind.* in vim retentionis *l.33.ff.de condict.indeb.*

(d) sive res, in quam impendit extet, sive perierit *arg.l.10.§.1.ff de negot.gest. l.8.ff.de pignor.act.* Licet n. in casu quo periit res, Dominus cum damno ædificãtis non fiat locupletior, attamen altera subest ratio, quæ suadet casum fortuitum ad Dominum pertinere, non ad ædificantem, sive petitione hereditatis conveniatur, sive Rei vindicatione *l.38.ff. d.petit.hered.l.5. C. de R. Vind. Tr.2.d.20.th.6.b. Hæn.d.Inst.4.th.13.a.*

(e) quæ meliorem rem faciunt *l.79.§.1.ff. de V.S.*

(f) ut in petitione heredit. sive res extet, sive minus *d.l.38.ff.de pet.hered.* Et Rei vindicatione, si res melior facta & impensa tolli non possit, Neque enim donandi animus in b.f. possessore, qui tanqum in rem suam impendit, præsumitur, neq; dominium cum alterius damno locupletari convenit. Si res melior facta non sit: deductio locum non habet, sed si auferri possit, auferet. *Vid.Dn.Frantzk.Exerc.4.Q.6. circa f.*

(g) Si petitor vel adeò pauper sit, ut non possit, nisi venditione ipsius rei impensas præstare *l.38.ff. de Rei Vind.* vel paratus si pati tollere eum impensas *l. 27. §. ult.ff.de R.Vind.*

(h) quæ speciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent *d.l.79.§. 2.de V.S.*

(i) ut eas interdum deducat, scil. in petitione heredit. *l.39. §. 1.ff.de pet.hered.* interdum tollat saltem, rei vindicatione conventus modo earum ablatione, petitori non plus officiat, quam sibi prosit. *l.38.ff. de R. Vind.*

(k) & exceptione forte per errorem omissâ.

(l) non quidem negotiorum gestorum; quia tan-

quam in re propria fecit impensas *arg. l. 5. C. de R. Vind.* neque condictionem certi; quia nihil fecit accipientis sed suam rem Dominus habere incipit. *l. 33. ff. de Cond. indeb.* Neque per actionem ex alio contractu, nihil enim egit aut contraxit cum Domino: sed per cõditionem incerti. Ad repetendam possessionem, quã retineat, donec de impensis satisfiat. Idq; ad exemplũ heredis, qui in domum ex fideicommisso restituendam, quæ ex parte ante diem fideicommissi cedentẽ arserat, ad refectionem impensas fecerat, & sine deductione tradiderat: nihilominus incerti condicere potest, quasi plus debito dederit. *l. 40. §. 1. ff. d. t.* Idem ergo erit in bonæ f. possessore, qui rem tradendo, non deductis impensis has facit accipientis: sine quarum deductione tamen rei possessionem restituere non erat obstrictus. Ideo æquum est, dari actionem non ad condicendum ipsum prædium vel ædificium, quã ob causam sola retentio ad servandas impensas dari dicitur in *l. 33. ff. de condict. in deb.* sed ad condicendam possessionem, cujus retentione deinceps consequatur impensas. *Vid. Donell. lib. 20. comm. c. 7. ibiq; Hillig. vid. Dn. Frantzk. Ex. 4. q. 5. Hapr. ad §. 30. Inst. de R. Div. n. 47. Hunn. 2. V. R. tr. 1. q. 26.*

Th. IX. Malæ fidei possessor (*a*) necessarias impensas (*b*) deducit indistinctè (*c*) utiles interdum deducit (*d*) interdum tollit (*e*) Voluptuarias tantum tollit. (*f*)

(*a*) qui sciens in rem alienam quid impendit *d. §. 30.*

(*b*) in primis fructuum causa factas ad fructus quærendos cogendos & conservandos, has impensas malæ fidei possessor etiam prædo deducit, cum fructus non intel-

intelligantur, nisi deductis impensis. *l.36.§.fin.ff. de petit. hered.*

(c) in petitione hereditatis & Reivindicatione sive res extet aut melior facta sit sive non *l.38.ff. d.t. l.5. C.de R.Vind.* Nam in harum impensarum deductione non tam persona inspicitur quam causa. Sufficit Domino conservatam fuisse ab interitu rem suam, à quocunque possessore id factum fuerit. Et malæ fidei quoque possessor laudandus est, qui rem alienam perire noluit sed sumptibus necessariis conservavit. Nec animus donandi præsumitur in eo qui in rem, ne periret, sumptus fecit, necessitate impellente. Quod autem in *d. l.38. in fin. ff. de petit. hered.* dicitur, prædonem non aliter deducere posse impensas, quam si res melior sit: id non de necessariis intelligendum est, sed de utilibus. His enim propriè augeri res & melior fieri illis propriè conservari dicitur. *Tr.2. d.20. th.6. b. Dn.Frantzk.Ex.4. q.6.* modo non in ipsam deprædationem sumptus fecerit *l.27.§.25. ff. ad L. Aquil.* Iniquissimum enim esset delinquere aliquem, & ad id pecunia alterius juvari. Dominum & re hactenus caruisse & ad sumptus hosce refundendos teneri. Sicut nec ille audiendus est, qui hominem subduxit: & quicquid alendo ei impendit, repetere voluit. Quod specialiter furum talium improbissimorum odio receptum est *l.1.C. de infant. expos.*

(d) scil. in petitione heredit. si res per Impensas melior sit *d.l.38.* In rei vindicatione eas non deducit malæ fidei possessor id est, non habet retentionem, nec earum prætextu restitutionem recusabit; Sive res melior facta sit sive non, sed tollit saltem, uti mox dicetur: Hic enim Domino donasse censetur, quod in rē

ejus utiliter impendit: illis in petitione hereditatis, cum qui heres est non mox & Dominus sit: Donare huic voluisse non præsumitur.

(e) in petitione hered. si res melior non fit *arg. d. l. 38.* & in Rei vindicatione, indistinctè sive res melior facta fuerit sive minus; tollendi saltem licentiam habet, ita demum, si sine læsione prioris status rei possit auferre. *l. 5. C. de R. Vind.* ut mitius agatur cum eo, qui in particulari Judicio, Dominum; quàm, qui in Universali, heredem se tantum probavit adeoq; æquum erit, ut hic, petitor nimirum hereditatis impensas refundat cum non continuo Dominus sit hereditatis, siquidem forte nec defunctus fuit Dominus, ille vero, petitor nimirum rei singularis adeoq; dominus ad easdem refundendas non teneatur: Ita distinctius post Accurs. *& Dd. comm. Dn. Frantzk. Ex. 4. q. 6. Hunn. 2. V. R. tr. 1. q. 24. & seq. Harpr. ad d. §. 30. n. 31.*

(g) sine læsione tamen prioris status rei *l. 37. ff. de R. Vind.* tum in Rei vindicatione, quid enim queratur Dominus, si rem, qualis antea fuit consequatur. Nec ablatione rei damnum aliquod incurrat, imò nec adjunctum rei censetur, quod sine detrimento ejus auferri potest. In *d. l. 5. C. de rei Vind.* de utilibus tantum impensis rescripsit Imperator, tolli eas posse à malæ fidei possessore: non ut excluderet voluptuarias sed quia de illis tantummodo consultus fuerat. *Tr. 2. 20. 6. b. Ibiq; Bachov. Dn. Frantzk. d. q. 6. Dn. Ungep. Ex. 6. Q. 6. in N.*

ad §. 33. seq. Inst. d. R. D.

TH. X. Litteræ quidem licèt aureæ sint, chartis membranisve cedunt *(a)* tabulæ tamen pictura non cedit *(b)*.

(a) d. §. 33. l. 9. §. 2. ff. d. A. R. D. Ex eadem ratione, qua pur-

pura aliena vestimento intecta. Licet pretiosior, accessionis tamen vice vestimento cedit. §. *26. Instit. h.t.* & ædificium pretiosius area, eidem tamen cedit, tanquam accessorium principali & fundamento §. *29. h.t.* cum generaliter constitutum sit, ut superposita inferioribus cedant, ait Cajus *lib. 2. Instit. tit. 1.* §. 4. etiam hodie; *gl. in d.* §. *33. Heig. ibid. n. 5.* Durant enim hodieq; eædem pristini juris rationes, nec in acquirēdo Dominio pretium accessionis spectandum est, *l. 19.* §. *perveniamus 13. ff. de dur. & arg. leg.* quanquam erudite scripta & ingeniosissimè cogitata chartæ prævalere velint. *Conf. Alb. Gentil. lib. 4. lect. & Epist. c. 18.* Chartæ tamen vel membranæ Dominus, nisi impensas scripturæ solvere paratus sit, exceptione doli mali repellitur; Si qui scripsit possessionem bona fide nactus est. *d.* §. *33. Bachov. in Comm. Inst. ibid.*

(b) propter minimam comparationem artificiosissimæ picturæ, & vilissimæ tabulæ. Cui tam insigne artificium, Apellis alicujus aut Parrhasii, cedere, ridiculum dicit Imperator in *d.* §. 34. cum constet in maximo apud Romanos pretio picturam fuisse. *Vid: Mynsing: ad h.* §. *34.* & quanquam alias in modis acquirendi, pretiositatis non habeatur ratio, sed fundamenti, attamen pro firmanda decisione JCti in *l. 9.* §. *2. ff. de A.R.D.* & Imperatoris in *d.* §. *34. Inst. h.t.* dici potest, aliam & potiorem esse rationem pretii, quod in arte consistit, quam ejus quod in materia est. *VVesenb. ad h.* §. *43.* cui ut *& Gœddæo ad. l. 14. de V.S. n. 12.* in eo non assentimur, quando picturam pro specificatione quadam habent, cui tabula velut subjectum & materia jure cedat. Nam nec specificatio dici potest: nisi & lanam alienam, colore tinctam, specificationem appel-

lare velis, contra *l. 26. §. ult. ff. de A. R. D.* Nec, si esset specificatio, pingenti aut specificanti cederet; siquid ē abrasâ picturâ, pristina materia, vel non mutata, vel restituta est. *Conf. Hillig. ad Donell. 4. Comm. 96. it. A.* Contrarium ab Imperatore & JCto Cajo tenuit Paulus in *l. 23. §. 3. ff. de R. V. & Cajo lib. 2. Inst. tit. 1. §. 4. in fin.* tabulæ picturam cedere: quod posterius argumento est, autorem Institutionum illarum non Cajum illum JCtū esse, cujus est *l. 9. ff. de* A. R. D. quemque suum vocat Imperator *in §. 6. proœm. Inst.* qui Adriani Imp. temporibus vixit *l. 7. ff. de reb. dub.* Sed Cajum Christianum quendam, aut ex Caji veteris Institutionibus, Anianum, Alarici, vel ut alii opinantur Theodorici Gothorū Regis Cancellariū, Epitomen confeciſſe & multa interpolasse. *Ant. Cont. lib. 2. lect. subseciv. c. 1. n. 13. Vult. & Bachov. Ad §. duorum Inst. de Nupt.* Ad d. vero *l. 23. §. 3. Pacius cent. 3. ENANT. q. 43. & Tr. 2. 20. lit. K.* putant, Paulum Cajo non expresse contradicere, sed generalem quidem Regulam tradere: *Rei cedat quod sine illa esse non potest.* Excipere tamen picturam, & voculam, *licet*, esse notam correctionis & contrariæ probationis. Verum ipsa verba Pauli qui expendet, non poterit non contradictionem invenire. Nos cum non satisfaciant quæ Accurs. Donell. Gœdd. afferunt: quæq; recensent *Hillig. d. l. lit. a.* simpliciùs dicemus, cum *Mynſ. Vult. Heigio quos sequitur Dn. Ungep. Exerc. 5. Q. 10.* è dissensionibus JCtorum, cujus vestigium in *d. l. 23.* ob difficultatem quæstionis relictum est: Imperatorem, Caji sententiam in *l. 9. §. 2. ff. de A. R. D.* approbasse in *§. 34. Inst. h. t.* qua sola pro jure servanda contrarium nihil erit in *d. l. 23. §. 3.* qui in eo quod continetur pro jure non ultra habetur.

Th. XI. Bonæ fidei possessor (a) fructus naturales (b) & industriales (c) lucratur (d) perceptos & extantes restituit, (e) malæ fidei possessor omnes indistincte. (f).

(a) Qui rem à non Domino, quem Dominum esse crediderit ex justa causa, onerosâ aut lucrativâ, bona fide accepit. §. 35. & l. 109. ff. d. V. S.

(b) in quibus producendis natura prævalet.

(c) in quibus industria hominis. Nam natura quidem cooperatur in omnibus, verum cum in quibusdam operetur, sine facto aliquo notabili hominis: interdum, non nisi magna cultura accedente: fit inde, ut illos quidem fructus naturales dicamus, quales, pyra, poma, fœtus, gramen &c. hos vero industriales, quales frumenta, oleum, vinũ &c. (d) l. 48. pr. ff. de A. R. D. dummodo consumpserit §. 35. Inst. h. t. l. 4. §. 2. ff. fin. reg. & quidem ante litem contestatam l. 22. C. de R. Vind. lucratur autem hos fructus, etiamsi locupletior factus fuerit. Idem enim juris habet quod Dominus in percipiendis fructibus l. bona fides 136. ff. de Reg. Jur. & de fructibus ab eo consumptis agi non potest, generaliter dicitur in §. 35. Inst. h. t. licet in petitione hereditatis aliter responderint JCti. Restituendos esse fructus, etiam consumptos, in quantum possessor hereditatis locupletior factus est. in l. 25. §. 11. l. 49. §. 1. ff. de petit. hered. Quia in Judicio universali fructus hereditatem augẽt, quæ tota restituenda est una cum parte i. e. fructibus, & pretium, sive id in quo locupletior factus est, succedit in locum rei ipsius hereditariæ. & adhuc extare creditur. Secus ac in particulari judicio. vid. VVesenb. ad d. §. 35. n. 14. Riem. Dec. 4. q. 4. Dn. Frantzk. Ex. 4. q. 9. Harpr. d. §. 35. n. 59.

(e)

(e) Nam suos interim facit dicitur in *l. 48. pr. ff. de* A.R.D. id est ut non relevetur à restitutione nisi consumpserit. *d. §. 35. d. l. 4. §. 2.* Imo & post litem contestatam. Consumptos restituet *d. l. 22. C. de R. V.* cum litis contestatio possessorem constituat in mala fide *Wes. ad d. §. 35. n. 14. d. l. 22. Treutl. 1. d. 15. th. 11. ibiq; Bachov. Dn. Frantzk. Ex. 4. q. 8. Riem. d. q. 4. Harpr. d. §. 35. n. 59. Hæn. disp. Inst. 4. th. 19.*

(f) sive titulum habeat, sive non *Vid. Hunn. lib. 2. V. R. Tr. 1. q. 35.* item naturales, industriales, extantes, consumptos antè & post litem contestatam; perceptos, percipiendos *d. §. 35. d. l. 22. C. de R. V. l. 33. ff. eod. l. 1. C. de petit. her.* relatione in his non ad possessorem faciendam, sed ad petitorem ut fructus eos restituat, quos petitor percipere potuisset. *l. 62. §. 1. ff. de R. V. Tr. d. loc. b. 11. b. Hæn. d. disp. 4. th. 20.*

ad §. 18. 39. 46. & ult. Inst. d. R. D.

TH. XII. Inventio (a) quidem rerum littoralium (b) & thesauri (c) & rerum pro derelicto habitarum (d) dominium inventori tribuet, non item rerum levandæ navis causa ejectarum. (e)

(a) conspectus enim non sufficit. Nec solo animo acquiritur possessio. *l. 3. §. 3. ff. d. acquir. poss.* & invenire dicitur, quasi in rem venire. Ideo inventio ipsa & apprehensio requiritur.

(b) gemmarum, lapillorum, margaritarum (de quibus *vid. l. cum aurum 19. §. gemmæ 17 ff. de aur. & arg. leg.*) §. *18. I. de R. Div.* qui modus tamen hodie privatis fere ademptus est: *Heig. in d. §. 18. n 5.*

(c) cujus definitio est *in l. 31. §. 1. ff. d.* A.R.D. Quod sit vetus dispositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat ita ut inventus, licito tamen

tamen modo. (Nam illicito modo & per magicas artes etiam in proprio inventus aufertur inventori & Fisco cedit *Dd. in l. un. C. de thesaur.*) & secundum dispositionem *d.* §. 39. in loco tum profano tum sacro & religioso proprio, inventori cedat in totum *d.* §. 39. *ibig. Crispin. in not. & Harpr. n. 6.* in loco sacro & religioso publico *l. 3. §. 10. ff. de I. fisc.* Fiscali, Cæsaris, alieno privato, non data opera, sed fortuito inventus pro dimidia parte. Inventori cedat, cui obtigit hoc fortunæ donum *l. 63. §. 1. ff. de A. R. D.* & Dei beneficium *d. l. un. C. de Thesaur.* pro dimidia, Ecclesiæ, Civitati, Fisco, Cæsari, Domino, qui præstiterunt causam sine qua non. Et ita conciliamus cum hoc nostro §. *dictæ l. 1. §. 10. ff. d. J. fisci.* Alias conciliationes referunt *Hillig. ad Donell. lib. 4. c. 14. lit. F. vid. Dn. Ungep. Ex. 6. q. ult. Riem. dec. 4. q. 5. Hunn. 2. R. tr. 1. q. 36.*

(d) quasi ea mente quis abjecit, ut nolit id in numero rerum suarum esse, quarum dominium mox acquirit, qui occupat: *§. 46. Inst. de R. Div.*

(e) Aut earum rerum quæ de rheda currente non intelligentibus Dominis cadunt, deserendi enim dominii nullus hic animus, nulla voluntas. *§. ult. Instit. d. t.*

ADDITAMENTA.

I.

AB illo gentium Jure, quo & mare & littora maris res proprietate nullius & flumina navigabilia proprietate certi alicujus populi usu autem utræq; communes omnium erant: moribus posteriorum temporum

Valde receſſum eſt. Ita ut & mare & littora maris Dominio Regum ac Principum ad ſcripta habeantur, nec liberum amplius mare, ſed clauſum Videatur. Nec occupatio Inſulæ in mari natæ, nec inventio illarum rerum littoralium de qua in §. 18. & 22. *Inſt. de rev. div.* hodie obtineat.

Flumina quoq; publica, non ad populum, ſed ad Principem pertinent & regalibus annumerantur *c. un. 2. F. 56.* & jam diu Verum eſſe deſijt quod in §. 2. *Inſt. de rev. div.* dicitur, Jus piſcandi omnibus commune eſt, in portu fluminibusq;, cum id hodie ad Principes & Magiſtratus pertineat, *d. c. un. 2. F. 56.* Imo nec Jus navigandi per flumen publicum, omnino liberum eſt, niſi Vectigali Dominis territoriorum qui Revalia habent perſoluto. Nec acquiſitio Inſulæ in flumine natæ de qua in *d. §. 22.* hodie locum ſibi vendicat.

II.

In flumine tamen publico non navigabili, aut quod aliud navigabile non efficit: licitum eſt molendium extruere, etiam in præjudicium ejus, qui molendinũ ibi jam ante extructum habuit: dum modo huic uſus molendini non interveratur, ſed aqua utriq; ſufficiat. Nec alter ad æmulationem tantum vicini id faciat *Vid. Gail: lib. 2. Obſe: 69. n. 27.* Quod in dubio licet noceat vicino, non præſumitur. Sane ſi vel ex more Regionis vex ex privilegio certus molendinorum numerus definitus ſit, non admittendum erit qui de novo aliud extruere velit. Sicut nec tunc, ſi qui longiſimo vel immemoriali tempore ſolus molendinum habuerat, alios molam extruere parantes prohibuerit, ijq; prohibitioni acquieverint: Non ex ſola poſſeſſione etiam temporis immemorialis actuimeræ Facultatis non præſcribitur, niſi prohibitio acceſſerit, per quam prohibens conſtituitur in quaſi poſſeſſione Juris negativi, ſine qua præſcriptio nulla currit, &

qui

qui prohibitus est acquieverit. *Vid. Consult. Constit. Saxon. tom: 2. part. 5. Quæst. 6. a.*

III.

Vicinum huic est quærere silentissimo tempore, homines & incolæ in molendinum loci illius frumenta sua apportarint: an postea in molendinũ adire prohibeantur. Quod negamus, siquidem mere facultatis est, hoc vel illud molendinum adire: Si tamen Dominus molendini prioris subditos & incolas alibi molere prohibuerit, & illi prohibitioni huic longissimo tempore acquieverint, hac prohibitione & præscriptione probata, acquisitum est Domino jus, ita subditi molendinum ejus adire deinceps compellantur, inde appellatur esn zwang-Mühle Aut. d. d. *Consult. p. 5. q. 5.* Ubi in furnis Dominorum idem Jus indui posse tradunt *Vid. Frid. Mind. lib. 2. de proces: c. 38. Andr. Rauchb: p. 1, quæst. 27.*

Illud hic addimus, in solo suo neminem prohileri de Jure cummuni molam extruere, licet non procul inde Vicinus molendinum habeat: In provincijs tamen Saxonicis usu obtinuit, ne quis id in suo faciat absq; speciali Magistratus cõcessione *Motest. Pist. quæst. 28.*

IV.

Edictum prohibitorium D: Augusti Electoris Sax: de Anno 1584. Quod & renovarunt Christianus I. Anno. 1587. Christianus II. Anno 1603. laudatiss. mem: Electores, in quo non tantum Venationes prohibentur, in zugerichteten und gehegten Wildtbahn und Wildtführen / der Landes-Fürstẽ / oder andern welche mit solchen Wildtführen berechtiget: Verum etiam malitiosis transgressoribus: pœna laquei dictatur, justissima ratione fulcitur, neque crudelitatem aut asperitatem nimiam sapit: Venari scienter & ex proposito contra prohibitionem: quæ capitis pœnam mi-

natur,

quit est, nisi calcare autoritatem Imperantis, toties promulgata mandata temere habere, teanquillitatem publicam armis turbare, sæpe latrocinijs & deprædationibus hac occasione indulgere: quas rationes, prolixius exponunt Serenissimi Sancientes in d. mandato, quid deniq; aliud est, quam furtum ferarum committere: quæ non amplius res communis, sed aliena sunt, & una cum banno ferino ad Principem pertinent: cur ergo poena mortis ad Exemplum furum aliorum ex Ordinat. Crim. Carol. V. non irrogetur? ad quam tamen ita demum devenitur, si quis feras ceperit in banno ferino ipsius Electoris, ibi in vnser gehegten vnd befriedigten Wildtbahn (aliud itaque in sylvis Nobilium & aliorum, si de corpore delicti constet: idq; valorem quinque solidorum auri Hungarici optimi excedat. *Vid. prolixè Dn. Carpz. Pmx. Crim. p. 2, q. 84. n. 26. & seqq.*

V.

Circa alluvionem, avulsionem, insulam & alveum de Jure Saxonico eadem fere statuta sunt, quæ de jure Civili obtinent *Vid.* Landr. *lib. 2. art. 29. & 56. & §. 20. & seqq. Inst. de rer. divis.* alveus tamen novus, iterum relictus non eorum fit, qui prope ripam prædia possident, uti quidem Jure civili, ob summam rationem semel extinctæ proprietatis inductum est §. 23. *Inst. de rer. divis.* sed ad Dominum proprietatis, revertitur, quod æquius & benignius videtur. Landrecht. *d. lib. 2. art. 56.*



quit est, nisi calcare autoritatem Imperantis, toties promulgata mandata temere habere, teanquillitatem publicam armis turbare, sæpe latrocinijs & deprædationibus hac occasione indulgere: quas rationes, prolixius exponunt Serenissimi Sancientes in d. mandato, quid deniq; aliud est, quam furtum ferarum committere; quæ non amplius res communis, sed aliena sunt, & una cum banno ferino ad Principem pertinent: cur ergo poena mortis ad Exemplum furum aliorum ex Ordinat. Crim. Carol. V. non irrogetur? ad quam tamen ita demum devenitur, si quis feras ceperit in banno ferino ipsius Electoris, ibi in vnser gehegten vnd befriedigten Wildtbahn (aliud itaque in sylvis Nobilium & aliorum, si de corpore delicti constet: idq; valorem quinque solidorum auri Hungarici optimi excedat. *Vid. prolixè Dn. Carpz. Prax. Crim. p. 2, q. 84. n. 26. & seqq.*

V.

Circa alluvionem, avulsionem, insulam & alveum de Jure Saxonico eadem fere statuta sunt, quæ de jure Civili obtinent *Vid.* Landr. *lib. 2. art. 29. & 56. & §. 20. & seqq. Inst. de rer. divis.* alveus tamen novus, iterum relictus non eorum fit, qui prope ripam prædia possident, uti quidem Jure civili, ob summam rationem semel extinctæ proprietatis inductum est §. 23. *Inst. de rer. divis.* sed ad Dominum proprietatis, revertitur, quod æquius & benignius videtur. Landrecht. *d. lib. 2. art. 56.*



quid est, nisi calcare autoritatem Imperantis, toties promulgata mandata temere habere, teanquillitatem publicam armis turbare, sæpe latrocinijs & deprædationibus hac occasione indulgere: quas rationes, prolixius exponunt Serenissimi Sancientes in d. mandato, quid deniq; aliud est, quam furtum ferarum committere: quæ non amplius res communis, sed aliena sunt, & una cum banno ferino ad Principem pertinent: cur ergo poena mortis ad Exemplum furum aliorum ex Ordinat. Crim. Carol. V. non irrogetur? ad quam tamen ita demum devenitur, si quis feras ceperit in banno ferino ipsius Electoris, ibi in vnser gehegten vnd befriedigten Wildtbahn (aliud itaque in sylvis Nobilium & aliorum, si de corpore delicti constet: idq; valorem quinque solidorum auri Hungarici optimi excedat. *Vid. prolixè Dn. Carpz. Pnax. Crim. p. 2, q. 84. n. 26. & seqq.*

V.

Circa alluvionem, avulsionem, insulam & alveum de Jure Saxonico eadem fere statuta sunt, quæ de jure Civili obtinent *Vid.* Landr. *lib. 2. art. 29. & 56. & §. 26. & seqq. Inst. de rer. divis.* alveus tamen novus, iterum relictus non eorum fit, qui prope ripam prædia possident, uti quidem Jure civili, ob summam rationem semel extinctæ proprietatis inductum est §. 23. *Inst. de rer. divis.* sed ad Dominum proprietatis, revertitur, quod æquius & benignius videtur. Landrecht. *d. lib. 2. art. 56.*